

Corpus inscriptionum Latinarum. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editum. Vol. II²: Inscriptiones Hispaniae Latinae. Pars 13: Conventus Carthaginiensis. Fasc. 1: Pars septentrionalis conventus Carthaginiensis (Titulcia, Toletum, Consabura, Segobriga). Ediderunt J. M. ABASCAL PALAZÓN – G. ALFÖLDY† adiuvantibus C. CAMPEDELLI – R. C. KNAPP – R. HAENSCH – M. HEIL – J. DEL HOYO – M. MAYER OLIVÉ – F. MITTHOF – A. U. STYLOW – J. VELAZA FRÍAS – I. VELÁZQUEZ. De Gruyter, Berlin – Boston MMXIX (2019). ISBN 978-3-11-067163-6; ISBN (e-book) 978-3-11-071870-6. XIV, 384 pp. EUR 219.

Pergratus erit inscriptionum praesertim Latinarum studiosis hic novus titulorum Hispanorum fasciculus qui est primus ex iis quattuor (v. p. XIII) fasciculis quibus tituli intra fines conventus Carthaginiensis reperti edentur. Ceterum hic fasciculus secundum quosdam (e.g. <https://www.degruyter.com/serial/cileav2p13-b/html>) editus est non a. 2019, ut in ipso libro legitur, sed 2020. (Interea prodiit a. 2022 fasciculus secundus continens “partem mediam” conventus Carthaginiensis.) Titulos fasciculi huius ediderunt homines in rebus epigraphicis versati J. M. Abascal Palazón et G. Alföldy (qui mortem obiit iam a. 2011) adiuvantibus iis, quorum nomina supra leguntur (haec sumpsit e p. [III]); notandum tamen est p. XII memorari etiam alios quosdam “auctores et photographos adiutoresque”.

Hoc fasciculo comprehensa sunt oppida quattuor pertinentia ad conventus Carthaginiensis partem eam, quae spectat inter septentriones et occidentem; sunt autem Titulcia, Toletum, Consabura, Segobriga – sed nota bene in hoc fasciculo proponi titulos tantum ipsius municipii; fasciculus enim secundus continet titulos agri Segobrigiensis. Hic fasciculus primus in universum complectitur titulos numero 911; quamquam fatendum est ex parte non minima agi de fragmentis et frustulis. Tituli nunc primum editi qui sunt non multi enumerantur p. 383; inter eos sunt praesertim tituli vasculis inscripti. Nescio cur in hoc laterculo sint omissi tituli n. 7 Titulcensis descriptus ab “amicis” quibusdam (in quo titulo filia habet nomen non patris sed matris) et n. 108 Toletanus, qui titulus notus ex ms. quodam hic videtur primum proponi (ad titulum certe memoratur editio tantum haec, “GIMENO sub prelo”). Tituli momenti alicuius nuper editi non recepti in *Lannée épigraphique* sunt e.g. Segobrigenses n. 280 (titulus valde elegans M. – cf. infra – Octavii Novati praefecti fabrum) et n. 324 (titulus Porciae L. f. Lucullae, cuius cognomen videtur esse ductum ex praenomine patris, parentiumque eius). Tituli omnes instructi sunt commentariis scitu digna explicantibus; ad titulos quosdam, praesertim carmina, addita est versio Hispanica (nn. 126, 158, 455 etc.).

Ut iam ad titulos oppidorum singulorum transeam, ex numero non magno (29) titulorum Titulcensium et ex ipsis titulis facile apparet agi de loco non magni momenti. Quod ad Toletum attinet, notabilis mihi videtur numerus satis altus titulorum agri Toletani, cum tituli urbani occupent nn. 30–57 (adde tamen titulos Christianos nn. 58–78), tituli agri (inter quos autem sunt etiam tituli Christiani) nn. 81–177. Inter titulos Toletanos sive oppidi sive agri non mihi videntur esse multi

qui sint memoratu valde digni (studiosis rerum Hispanarum tamen erunt cordi e.g. mentiones satis numerosae *cognationum* variarum); notari tamen potest unicum exemplum tabulae ceratae in Hispania repertae n. 116. Ad titulum n. 161, in quo memoratur *Murtilus* quidam, scilicet *Myrtilus*, observatur hoc, cognomen “redire in tit. Varensi (*HEp* 7, 1997, 585c)”; in mentem tamen veniunt non solum exempla cognominis *Myrtilus* in titulis Lusitanis (*CIL* II 237; *IRCP* 10) sed etiam municipium *Myrtilis* Lusitaniae et homo ordinis senatorii L. Marius Vegetinus Marcianus Minicianus *Myrtilianus* (*PIR*² M 323, “[p]robabiliter ex Hispania ortus”).

Etiam tituli non multi Consaburae (quod oppidum situm est in altitudine 857 m.) reperti ostendunt non agi de civitate magni momenti. De titulo n. 186 velim observare hoc, litteram *I* secundam in nomine *Mamilia* mihi non videri longam (“*Mamilia*” editores) sed infra et supra esse totam inscriptam paulo altius quam litterae aliae; nescio an sumi possit hanc litteram esse additam post titulum primarium inscriptum.

Fasciculus hic concluditur titulis Segobrigensibus, qui sunt plus septingenti (nn. 204–911). Sequitur ut facile appareat Segobrigam fuisse urbem aliis longe praestantissimam, id quod efficitur etiam ex eo, quod Segobrigae noti sunt praeter forum, basilicam, thermas etiam circus, theatrum, amphitheatrum (p. 103sq.). Ceterum quod ad titulos Segobrigenses attinet, etiam de iis observari potest saepius agi de fragmentis minimi momenti. Tituli Segobrogenses cum sint satis numerosi, divisi sunt in capita plurima, e. g. in miliaria, titulos sacros, imperatorum, virorum ordinis senatorii, virorum ordinis equestris, etc. Inter titulos senatorum notabiles sunt e. g. tituli positi in honorem C. Calvisii Sabini consulis a. 4 a. C. (n. 267) et M. Licinii Crassi Frugi consulis a. 27 p. C. (n. 268); notabilis est etiam titulus apparitoris, scilicet M. Porcii M. f. *Caesaris Augusti scribae* n. 283 (quod p. 155 dicitur de v. 2, ubi iam legitur tribus *Pup(inia)*, non bene intelligo; nisi sumi potest dictum esse lapicidam primum inscripsisse tribum Segobribrigensium *GAL*, has litteras deinde correxisse in *PVPINIA*; ex im. phot. tamen videtur effici hoc denique esse correctum in *PVP*, sed ita, ut restet vestigium litterae secundae *I*).

Post capita plura (e. g. titulos magistratum, collegiorum, operum publicorum) incidimus in titulos sepulcrales, divisos in capitula multa. Inter hos mihi notabiles videntur e. g. n. 455, carmen pulcrum quod mater scripsit filiae mortuae (*AE* 2007, 805); n. 467, titulus partim inscriptus, partim delineatus; n. 486, titulus, quem *Placidi[na]e* cuidam posuit *Satur atavus eiusdem*; *atavi* enim in titulis rarissime memoratur. Cognomina memoratu digna inveni in n. 491 (*Liticus*, i. e. *Lithicus* ut videtur) et in n. 497 (Quintia T. I. Anthologis). In universum in titulis observavi hoc, praenomen rarum *Manii* inveniri saepius quam expectaveris; v. nn. 212. 280 (cf. n. 269, ubi p. 146 “13, 268” corrigi debet in 13, 280). 380. 403. 432. 455. 518. 522. 536. 549. 619. Inter homines praenomine Manios reperiuntur Acilii (403), Aurelii (432), Cassii (212), Octavii (280), Valerii (455 et 536; cum in n. 380 memoretur Manius quidam, de cuius nomine non legitur nisi littera prima *V*, nescio an possit cogitari de M. V[alerio ---]).

Ut solet, etiam hic fasciculus *Corporis* scriptus est lingua Latina ea fere, quae in usu erat apud scriptoribus optimae aetatis; observavi tamen quosdam errores (e. g. *agiatur* pro *agatur* p. 124 n. 226; *vir ... oriundus a Segobriga ... fuisse putavit* ALFÖLDY p. 149 n. 274 pro *virum ... oriundum*), sed pauci sunt et in opere alioqui optimo laudibusque dignissimo nullius fere momenti. Ita restat, ut gratiae mihi sint dicendae iis omnibus, qui huic fasciculo ad finem perducendo operam suam navaverunt.

Olli Salomies
Universitas Helsingiensis

ARABELLA CORTESE (ed.): *Identity and Cultural Exchange in Ancient Cilicia: New Results and Future Perspectives. Internationales Kolloquium 18.–19. Mai 2018 in München*. Mitteilungen zur spätantiken Archäologie und byzantinischen Kunstgeschichte 7. Dr. Ludwig Reichert Verlag, Wiesbaden 2020. ISBN 978-3-95490-428-0; ISBN (e-book) 978-3-95490-680-2. 160 pp. EUR 39.80.

This book collects together contributions of an international conference which took place in Munich in 2018. The wide variety of authors and titles are:

- Marcello Spanu: “The Cities of Kilikia during the Roman Period: A Reassessment”
- Annalisa Polosa: “Coin Production and Coin Circulation in Cilicia Tracheia”
- Mustafa Sayar: “Spätantike Siedlungen im Ebenen Kiliken”
- Emanuela Borgia: “Cilicia as a Multicultural Region: Indigenous and Foreign People in Roman and Byzantine Inscriptions”
- Yavuz Yeğin – Murat Özyıldırım: “Christliche Identität in Olba am Beispiel des Klosters von Olba”
- Emel Erten: “The End of Antiquity at Olba”
- Arabella Cortese: “Korykos und seine Heiligen in der Spätantike: Landschaft, Raum und Präsenz in der Grabeskirche extra muros”
- Troels Myrup Kristensen: “Meryemlik, Gathering and the Archaeology of Pilgrimage.”

The book is a welcome addition to internationally published research on ancient Cilicia, an area which has received less attention than the more western areas of modern Turkey although it has interesting connections and the potential to advance our understanding of the dynamics of a wider area. The introduction by Arabella Cortese states that two questions are specifically addressed: the long acculturation process of Cilicia from the Hellenistic to the Late Antique period, and the local identity of the region. In this the volume is successful to a degree, for although it does not aim to provide a comprehensive summary of the topic, it does present the latest research from the area. This